

His, qui multorum norunt paucis meminisse.
His ad maturos transmissis illa canamus,
Que teneris humeris et viribus equa putamus.

p. 113b

Quod tua fistula, Pan, stridit, sequitur referendum.
Rusticus es deus et tibi carmen agreste canendum.

<Pan>:

„Primus cunctorum fons principiumque deorum
Exstat Saturnus genitor grandevus eorum.
At contectalis eius sibi iuncta iugalis
Obs quos ipsa dedit, fetus pater ipse comedit.
Tres remanent nati per nomina trina notati,
Tres supra cunctos speciali sorte beati.
Iupiter omnipotens cælum decrevit habere
Maiestate sua validus reliquos cohibere.
Post hunc Neptunus seu quem pavet inferus unus.
Iupiter armatum trifido se fulmine gaudet,
Quo fretus geminis dominari fratribus audet.
Ast immensarum rex et dominator aquarum
Dicitur ingente fluctus inhibere tridente.
Inmitis Ditis quid sit regnum, bene scitis.
Qua torvi manes umbræque vagantur inanes,
Cerberus ipse fores servat furiæque sorores.
At tribuuntque data tibi, Pluto sacer, tria fata
Atque dedere pias tibi sacratas Arpias.
Iupiter ut natus patris evadendo patratus
In patrem sevit, fugat hunc, ut mox abolevit:
Debachans mire membrum secat atque virile.

64 Quod] Quid Hs. 69] Nach fetus ist die Dublette quos durch Unterstreichung getilgt. 71 sorte beati] Vgl. *Lateinisches Hexameter-Lexikon. Dichterisches Formelgut von Ennius bis zum Archipoeta. Zusammengestellt von Otto SCHUMANN (MGH Hilfsmittel 4, 1980) s. v. sorte beat(-)*. 75–78] Vgl. *Fulgentius, Mitol. I, c. 37 (Fabula Neptuni)*. 79 quid] quod Hs. 79–83] Vgl. *Fulgentius, Mitol. I, c. 38 (Fabula de Plutone)*.